QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE XI. MENSIS FEBRVARII, MAGISTRO GVILLELMO BELET, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

610

An furor amatorius melanchollicus affectus?

CVNCTIS humoribus tum alimentarijs tum excrementitijs proprium locum natura concessit, qui si neque nimij sint, neque vitiosi, corporis temperiem & integritatem conseruant vnáque (alimentarij præcipuè) cum spiritibus & solidis partibus hominem πολμηροτάτης φύσεως τέχνασμα componunt. Quod si peccent, situmque naturalem non seruent, actiones lædunt affectusque contra naturam inducunt quamplurimos; quos ab humore excitato vel alterato denominare licet: puta hydropem omnem, sero maligno habitu corporis vel abdomine concluso; icterum vtrumque, effusâ in summam cutem vtrâque bile, cerebro male affecto & infecto humore vaporeve melancholico μελαγχολικὸν πάθος, quo omnes animæ functiones perturbantur, facultates labefactantur, mens ipsa percellitur, vnde peruersa rerum existimatio, metus inanis, mœstitia, anxietas, sollicitudo, quæ si à diutino amore proficiscitur, persæpe in furorem abit, qui ideo amatorius dicitur & habetur.

HVMORVM naturalium generatio ab alimentis euchymis, eupeptis, eucratis, ventriculo bene temperato, hepate sano dependet: Eorum qui contra naturam, sex rerum non naturalium prauus vsus, vel abusus, scaturigo; pathemata, turbidi motus animi, non solum τὰ καλὰ τῶν τρόπων, sed & humorum temperiem & corporis vniuersi constitutionem peruertunt; vt morborum sint causæ non leues; præ cæteris, tum menti, tum corpori, grauem inurit notam amor, anxia illa iuuenum cupiditas amasiam videndi, colloquendi, eâque potiundi efferata libido; facultatis concupiscentis quæ in iecore residet fœda perturbatio, ex pulchri bonique percepta specie prognata: ignis est, nec ille cæcus, quo corpus vniuersum conflagrat, vnde varij emergunt affectus, febrium genus omne, ἀτροφία, palpitatio, epilepsia. Amor quippe hominis animum exest & conficit vt qui eius stimulis agitatur amans ἄνους fit: huius omnino belluini sunt motus, cæci impetus, sane quandoque belluæ naturam induit & lycanthropos euadit.

HVMANÆ vitæ summa fœlicitas μετριοπάθεια, eam si non prorogat, saltem quamdiu humor primigenius calorque natiuus vigent, conseruat; humorum contra naturam congeriem prohibet: Curas tolle graues, irasci crede prophanum. Caue diuturnum & pertinacem amorem furoris genuinam causam: an etiam melancholiæ? quidni? sane ijdem reapse affectus sunt, verbo duntaxat dispares, μελαγχολᾶν furere est, eadem vtriusque causa, eaque bilis atra, quâ præcipuè calent & squallent, qui amore vruntur; virgines plenis nubiles annis, menstruo suppresso sanguine, illoque putredine & vredine bilis atræ naturam subeunte, cœptis immanibus efferæ, melancholiâ & furore agitantur; eadem denique symptomata, vigiliæ iuges, pulsus rarus, quandoque tamen inæqualis, vitæ tædium, pædores, perculsiones capitis, capillorum euulsiones, vultuosa facies saturato rubore perfusa, mox pallescente aut liuescente colore, desiderium solitudinis, *Myrtæus amentes vbi lucus opacat amantes.*

VT LABOR sic amor omnia vincit improbus; est mollis flamma medullas, quas, seu verum ossium nutrimentum, prius consumendo, horum dein substantiam sicciorem reddit, corporis calorem dissoluit; Iuuenum amantium quorum in temperie sanguis præpollet, halituosum humidum depascitur; pituitosorum languidiorem calorem acriorem efficit, sensim ad adustionem præparat; biliosorum is calor qui ab huius affectus perturbatione oritur, naturalem suffocat, at melancholicos in furias agit. Quin etiam cùm diu hæret lateri lethalis arundo cupidinis, cor impetit; quod æstuans spiritus atque totum corpus tenebris inuoluit; imo ad præcipuam mentis arcem virus immittens, mentem offundit, perturbat, spem, desperationem, metum, gaudium, mœrorem, furorem, rixas commouet, & pleraque præstat absurda, pro vario spirituum vaporumque acrium & calidorum affluxu motuque, diuersorum obiectorum perceptione, præteritorum recordatione, non aliûs humoris peccantis symptomata prodit apertiùs quam melancholici: metus siquidem & mœstitia, non bilis, non pituitæ, non sanguinis, at melancholici succi qui in vitio sit, pathognomonica signa, perditè amantes, nec ex voto amoris fructum carpentes perpetuo comitantur.

ATRI & sero naturæ nostræ infensissimo abundantis humoris vapores ex infernis partibus perenniter in cerebrum sensus exors, diffusas per propriam substantiam principes facultates continens, feruntur, huiusque meninges exquisitè sentientes adeò acriter vellicant, vt hinc non tantum desipientiæ, cum ferocitate pessimæ, oriantur; sed etiam varia conuulsionum genera prodeant, quæ non tantum facultatum animalium abolitionem, sed & interitum minentur, frustra tunc subitam, vt in morbis à bile & sanguine crisim, nec vt ortis à pituitâ abscessum ad emunctoria salutarem expectes: huius quippe humoris vberior copia repentinæ natiui caloris extinctionis, deuicta natura, periculum adfert. Incassum melanagoga humorem ad excretionem sollicitantia imperabis, nisi causis antecedenti & coniunctæ præuideris: illam cibi potusque inopia, hanc cœtus virorum coætaneorum, animum exercitijs, phantasiam colloquijs, & musicis distrahentium sedant: fœminarum consortia, nisi vetularum amasiæ vitia distinctè enumerantium, vix concesserim. Citius, tutius, & iucundius rei amatæ fruitione (dum fas & iura sinunt) furoris exacerbatio sistitur, symptomata leniuntur, pristinus naturæ status restituitur.

Ergo furor amatorius melancholicus affectus.

Asserebat Lutetiæ CYPRIANVS HVBAVLT Parisinus. Anno R. S. H. M. DC. XXI.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus Cousinot.
M. Petrus de Beaurains.
M. Ioannes Texier.



M. Robertus Tuloue M. R.
M. Michaël Bommer.
M. Antonius le Rat.



M. Gabriel Biard.
M. Ioannes Degorris M. R.
M. Renatus Chartier M. & Prof. Reg.